DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.



QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ Martii M. DCC. XXXVIII.

M. HENRICO BESNIER,
Doctore Medico, Præside.

An in Phlegmone curandâ repercutientibus resolventibusque præferenda maturantia?

I.

NATURAM Ducem in medendo sequere: hæc in iis quæ subito facienda promptior; in iis quæ prævidenda sagacior; in quoque peragendo negotio, aut in promptu habet, aut si deficit, linquentibus & organis quibus utitur, saltem quæ operanda, non solùm tacitè sed explicitè demonstrat, & digito designat quibus remediis sublevari possit. Viden hæc naturæ miracula maximè in moborum judicationibus! Quot labyrinthi; tot viarum inextricabilium aditus patent. Incurrit morborum ilias? Plura succrescunt perfugia. Multa damna? Plures resarciendi rationes. Nascitur ex humore præternaturam labente tumor? Ægrotanti sunt solatio curationis methodi multæ. Tumoris si spectetur causa continens, morbus est; si verò ad illud, quod talem causam immediatè produxerit, attenderis, symptoma est morbi cujusdam præcedentis: tumor itaque est quidem morbi judicatio, sed in alium morbum desinens. Pro humoris, partis, tempestatis, temperamenti, magnitudinis accidentium, causarum diversitate, diversa est tumorum species. Alius tumor à sanguine, alter à bile, vel à lymphâ vel ex quolibet alio humore: diversus est etiam tumor supra caput enatus, alter qui in abdomine, pectore, &c. gignitur; tempestatis diversitas tumorum ortu difficilem, vel facilem curatu facit; temperamentorum varietate variat tumor, congestio enim bilis aut lymphæ dissimilem natura producit tumorem in bino homine quorum alter est temperamenti calidi aut frigidi, alter verò temperamento sicco aut humido constat? Magni sunt & minimi tumores pro majori vel minori humoris ad partem appellentis quantitate, magni quidem ut phlegmone, bubo, parotis, œdema, scirrhus; mediocres & parvi, ut tubercula quædam, furunculi, nodi, &c. tandem minimi qui superficiem partis tantum afficiunt ut exanthemata, Epinyctides, Essere vel Sora, &c. Ab accidentibus ut à colore alii deprehenduntur alii rubri, &c. A consistentia molles vel duri; à sensu, dolorem pariunt, vel doloris sunt expertes: causæ etiam tumorum cum sint diversæ, duplex venit tumor; alius fluxu qui subito ferè occurrit, alter congestione id est insensili materiæ præter-

labentis adventu, multo temporis ſpatio ducit originem: dicuntur etiam tumores critici qui ſanitatem, ſymptomatici qui morbum procreant: tumorum diverſæ cauſæ enumerantur, internæ ſcilicet & externæ; hæ ſunt quidquid humorem fundere, ut calor, aut comprimere ut frigus, aut agitare ut motus, aut alterare ut ictus, vulnus, caſus, contuſio, &c. Illæ verò ſunt partium intemperies & humorum diatheſis. In tumore animadvertenda ſunt, materia quæ manat, pars quæ mittit, ſpatium per quod excurrit humor, tandem pars quæ recipit & tumet; ex quibus diagnoſticum & prognoſticum clarè patent.

I I.

PRIMA tumoris intentio curativa, materiæ eductio cujus tres ſunt modi, ſcilicet humoris defluentis repercuſſio; ejuſdem intus adventitii reſolutio per inſenſilem tranſpirationem, & tandem materiæ extra vaſa ſtagnantis evacuatio per apoſtematis apertionem. Repercuſſione fit dum humorem partim fluentem aliò remittunt, partim impactum reſolutioni ſinunt, partique robur addunt topica medicamenta, qualia ſunt non ſolummodò quæ fibras tendunt, aut abſque aſtrictione refrigerant id eſt caloris compeſcunt æſtum materiam incraſſando, vias intercipiendo, impediendo novæ materiei affluxum. Plures ſunt conditiones in tumoris curandi methodo adhibendæ; mutatio facienda pro tumoris & partis natura, &c. Quæ curandi quidem ratio ad humorem propiùs fluxurum quam ad eum qui jamjam tumorem efformat pertinere videtur; unde naſcitur alia materiam educendi ſpecies, quâ foras eliminata ducitur: id aſſequimur dum partis tenſæ relaxantur fibræ, dolor ſedatur, aperiuntur pori, materies in vaporem trahitur; tentatur reſolutio topicis, quæ, niſi ſecundum magis aut minus non differunt in ſuâ operatione perficiendâ; quædam enim ſunt mediocriter humida ſimul & calida, quorum uſu cutis relaxatur & in auram exhalatur materia? quædam ſunt minus humida ſimul & calidiora quorum uſu jam humores mutati, halitu ex alto evocantur & in aerem avolant. Tertia quidem & ultima curandi ratio, quæ tutior eſt ſuppuratio audit, tutiorem viam elige, periculoſam devita.

I I I.

ATQUI præſtat curare *Phlegmonen* puris viâ ſenſili eductione: quanta quotque mala ex repercuſſione, nec non (licet minus) ex reſolutione proveniant perpendendum; quot verò bona ex ſuppuratione ſubſequantur obſervanda ſunt; reſolutio quidem lubenter amplexanda, ſed heu quot errores occurrunt ineluctabiles, quot impedimenta curationis ſeriem incurrunt? Minuatur partis calor, materies immota manet; ſi ipſi inſit nimia craſſities uſu adſtringentium aut diſcutientium immodico, adhæret loco; ſi adſit inflammatio magna, aut tranſpirationis defectum, aut caloris extinctionem, aut materiæ malignitatem conſequitur; ſi putris fiat humor, inde naſcuntur fœtor, lividitas, ſenſus privatio; ſi humoris fiat recurſus quantis periculis jacet obnoxius ægrotans; ſi repente evaneſcat, delirii vel mortis prænuntium; ſi tumor fiat inæqualis, quæ curationis diverſitas! In hâc parte ſuppuratur, in iſtâ vero reſtant dura latera; ſi criticè accidat, naturæ impetus ſalutaris prohibetur; ſi ab externâ cauſâ, ut frigore, uſtione, contuſione ducat originem, intus reducis quod extus eſt; ſi tumor parti principi vicinus, in hanc regeritur pernicioſa materies; ſi partes nobiles ſint infirmæ, earum virtus proſternitur; ſi pars affecta minori calore languet, refrigerantibus admotis prorſus extinguitur, aut nimio calidorum uſu conſtrictæ partis fibrillæ criſpatæ rigent; ſi dolor adſit, vehementior indè ſæpe ſæpius evadit; ſi partis ſitus ſit latior & corpus cacochymum aut plethoricum, pejor fit ſanguinis cacochymia; ſi repercutientibus quis utatur, aut tumor augetur aut prægrandior fit topicorum abuſu; ſi tandem adſint extranea ut vermes, lapides, concreta quæque, quomodo foras avolabunt, aut intra ſecurè tutò ju-

cundèque recurrent. Quidquid ergò in tumoris curatione agitur., metu plenum est utendi primâ & secundâ methodo, licet adsit caloris innati robur, partes integræ constent, & tumor materiæ malignitate careat; ad tertiam igitur curandi normam videlicet suppurationem recurrendum quoties tumor quâque parte deprehenditur.

I V.

ID obtineri licet si Medicamenta adhibeantur, quæ maturantia & pus generantia audiunt quibus tumentes partes foventur, earum nativus conservatur calor, imò & ad humorum delitescentium pepasmum augetur naturæ deficientis robur, quo puris formam adipiscatur materies; sunt enim temperate calida & humida & temperamento partis cui applicantur commoda; hinc fit ut pro partis, humoris, temperiei, tempestatis varietate varia eligantur medicamenta plus minusvè emplastica, unctuosa, pinguia, &c. qualia sunt oleum, butyrum, fermentum, puls, adeps, cœpæ coctæ, caricæ, malva, linum, stirax, unguenta, &c. & eorum mistione aliud ab altero si caliditate, humiditate, &c. superetur, temperandum: nec veniunt huc loci cathartica, sed Sanguinis missio celebranda; imò nonnunquam sed raró & admodum, per transennam ac semel, & tanquam sequiora remedia admittuntur repercutientia resolventiavè, in quantum aut acutior febris; aut princeps, in quam fluit humor, pars; aut illius materies, quam ut à parte contineatur copiosior; aut tandem humoris lues Phagedœnica, quo in casu subito ferrum ignisque paginam adimplent. Antequam adaperiatur tumor, examinanda veniunt, puris in tumore contenti conditio, pars in quâ delitescit humor; signa puris confecti hæc sunt; doloris remissio; liquidi fluctuantis tactu sensatio; loci exterioris, sub quo pus latet, color pro diversâ tumoris naturâ peculiaris & proprius; tumoris non nihil circum circa imminutio; tensionis ac duritiei remissio (nisi temporis tractu, aut partis & puris natura, fiat Scirrhus Cancer, &c.) æger aliquam allevationem sentit; calor in tumoribus calidis imminuitur, in mitioribus augescit; tumor in ea parte ubi collecta est materia in mucronem attollitur (exceptis genubus, & ossium quibusdam juncturis & ubique loci multæ sunt membranæ) si verò in altâ parte pus lateat aut crassum, glutinosum, lentum, aut tunicâ seu folliculo contentum sui jam existentis signa nulla sensibilia prodat, ad rationalia ex Medico tum diagnostica, tum prognostica signa recurrendum, qualia sunt aut febris absentia, aut ejusdem in alteram speciem immutatio, ejusve remissio, incrementum; doloris, inflammationis, pulsationis cessatio; unde febris lenta, metastasis, alterius tumoris ortus, aut prioris instauratio ex puris itu recursuque. Parti cui insidet tumor studendum, num sit carnosa, nervosa, membranacea, glandulosa, omni vasorum genere stipata; ventris cujusdam amplioris, abdominis, pectoris, capitis, aut viscerum in quacumque capacitate contentorum vicina, continua, contiguavè. Tumoris species ac indoles non perfunctoriè sed gnaviter æstimanda. Num citiùs seriùsvè, ante vel post effectum pus, spontè vel arte, majori vel minori aut profundâ aut superficiariâ incisione aperiendus tumor? In ejus loco eminentissimo, lanceolâ, declivi vero forficibus fiat operatio. Quàm attentè quam sollicitè præcaveri debent, quantum licet, hæmorragia ex vasorum apertione; dolor ex nervorum læsione; partis sensûs motûsque abolitio ex totâ aut transversa musculorum rescisione; animi deliquium ex copiosiori materiæ eductione & timore quo ex ferramentorum apparatu inopinatò percellitur ægrotans. Resecanda ulceris labia: turundis abstinendum; unguentis, quæ vocant, digestivis, defensivis, suppurantibus utendum oportune: nec citius cicatrix coeunda.

V.

QUID miri si tumoris cujusque curatio proponatur materiei viâ sensili eductio? Nonne diaphoreseos humor ad peripheriam appulsus ibi retentus aut retrogradus, morborum cohors, Nonne mors subita, apoplexia, paralysis, coma, febres,

ſudore interrupto ; urina retenta, à fæcibus duris alvo conſtipata. Nonne reducia in laticem ex tumore humoris miaſmata abominanda ſunt. Si tumor, qui repercutitur aut reſolvitur, naturæ judicium; Illaqueatur ipſa & impeditur quominus fiat liquidi depuratio, ejuſque foras eliminetur illuvies; ſi tumor, morbi ſymptoma; quæ ſtrages, quæ liquorum confuſio, partis inflammatio, durities, inſenſilitas; unde prægrandis fit tumor, durus evadit ſcirrhoſus, carcinoma, cancer, aut in ſphacelum vertitur. Si corpus extraneum ut vermes, gypſum, lapides, ſabulum aut alia id genus quomodo avolabunt reſolutione, aut in ſanguinem retrudentur ſi eligitur repercuſſio. Intentio aut indicatio medica, eadem quæ naturæ; ipſa autem foras eliminat, aut ſaltem conatur foras ejicere, quam in tumorem efformavit materiem; in operando ſibi ſimillima, diverſos toto cœlo, pro ſubjecti modo, loco, ſtatu in quo laborat, producit effectus; hinc in eodem cujuſque humoris fonte, ſanguine ſcilicet, quàm diſſimiles naſcuntur inter ſe tumores inflammatorii, quorum curatio varia quidem ſuppellectilibus & circumſtantiis, re autem & effectis planè eadem: hinc in curandis phlegmonibus varia pro ægrotantis, temperiei, tempeſtatis, partis, cui ineſt tumor varietate admiſcentur medicamenta; tumentis verò materiei exitus naturæ votum, conamen, finis.

Ergo in Phlegmone curandâ repercutientibus reſolventibuſque præferenda maturantia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI

M. Otto - Caſimirus Barfeknecht.
M. Robertus Linguet.
M. Achilles - Franciſcus Fontaine.
M. Joannes - Baptiſta - Ludovicus Chomel, Rei Herbariæ Profeſſor.
M. Hyacintus - Theodorus Baron, Scholarum Profeſſor.
M. Ludovicus - Maria Pouſſe.
M. Franciſcus Pouſſe.
M. Bernardus Bertrand, Pharmaciæ Profeſſor.
M. Camillus Falconet, Salubris Conſilii Regii Socius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.

Proponebat Pariſiis, CAROLUS DIONIS, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1738, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1738.